



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Tertium

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romae, 1619**

Vtrum timor excuset, vel diminuat peccatum? 4

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38803**

mortaliter peccans, concupiscentiæ consentiendo, reuocatur, ne opere impleat quod proposuit facere.

Ad tertium dicendum, quod gloss. illa loquitur de timore reuocante hominem à bono, quod non est de necessitate præcepti, sed de perfectione consilij. Talis autem timor non est peccatum mortale, sed quandoque veniale, quandoque etiam non est peccatum: putata, cum aliquis habet rationabilem causam timoris.

## ARTIC. IV.

*Vtrum timor excuset à peccato?*

637

ar. 1. hu-  
ius q.

**A**D quartum sic proceditur. Videtur, quod timor non excuset à peccato. Timor enim est peccatum, ut \* dictum est. Sed peccatum non excusat à peccato, sed magis aggrauat ipsum. Ergo timor non excusat à peccato.

¶ 2. Præterea, Si aliquis timor excusat à peccato, maxime excusaret timor mortis, qui dicitur cadere in constantem virum. Sed hic timor non videtur excusare: quia cum mors ex necessitate imminet omnibus, non videtur esse timenda. Ergo timor non excusat à peccato.

¶ 3. Præterea, Omnis timor aut est mali temporalis, aut spiritualis. Sed timor mali spiritualis non potest excusare peccatum, quia non inducit ad peccandum, sed magis retrahit à peccato. Timor etiam mali temporalis non excusat à peccato: quia sicut Philof. \* dicit in 3. Ethicor. inopiam non oportet timere, neque ægritudinem, neque quæcumque non à propria malitia procedunt. Ergo videtur quod timor nullo modo excuset à peccato.

c. 6. ante  
med. 1. 5.

1. q. 1. ca.  
Consulat.

**S**ED contra est, quod dicitur in \* Decre. 1. quæst. 1. Vim passus & inuitus ab hæreticis ordinatus, colorem habet excusationis.

ar. 1. hu-  
ius q.

**R**ESPONDEO dicendum, quod sicut supra \* dictum est, timor in tantum habet rationem peccati, in quantum est contra ordinem rationis. Ratio autem iudicat quædam mala esse magis alijs fugienda. Et ideo quicumque ut fugiat mala quæ secundum rationem sunt



sunt magis fugienda, non refugit mala quæ sunt minus fugienda: non est peccatum. Sicut magis est fugienda mors corporalis, quam amissio rerum temporalium. Vnde si quis propter timorem mortis, latronibus aliquid promitteret aut daret, excusaretur à peccato; quod incurteret, si sine causa legitima, prætermisisset bonis, quibus esset magis dandum, peccatoribus largiretur. Si autem aliquis per timorem fugiens mala, quæ secundum rationem sunt minus fugienda, incurrat mala quæ secundum rationem sunt magis fugienda: non posset totaliter à peccato excusari, quia timor talis inordinatus esset. Sunt autem magis timenda mala animæ, quam mala corporis; corporis autem magis, quam mala exteriorum rerum. Et ideo si quis incurrat mala animæ, id est peccata, fugiens mala corporis, puta, flagella vel mortem; aut mala exteriorum rerum, puta, damnum pecuniæ; aut si sustineat mala corporis, ut vitet damnum pecuniæ: non excusatur totaliter à peccato. Diminuitur tamen secundum aliquid, eius peccatum, quia minus voluntarium est quod ex timore agitur. Imponitur enim homini quædam necessitas aliquid faciendi propter timorem imminens. Vnde Philosophus\* huiusmodi quæ ex timore fiunt, dicit esse non simpliciter voluntaria, sed mixta ex voluntario & inuoluntario.

Ad primum ergo dicendum, quod timor non excusat ex ea parte, qua est peccatum, sed ex ea parte, qua est inuoluntarium.

Ad secundum dicendum, quod licet mors omnibus imminet ex necessitate, tamen ipsa diminutio temporalis vitæ est quoddam malum, & per consequens timendum.

Ad tertium dicendum, quod secundum Stoicos, qui ponebant bona temporalia non esse hominis bona, sequitur ex consequenti, quod mala temporalia non sint hominis mala, & per consequens nullo modo timenda. Sed secundum \* August. in lib. de liber. arbit.

li. 2. et h. c. 1. statim post prin. 10. 5

li. 2. c. 18. c. 19. 10.



arbit. huiusmodi temporalia sunt minima bona: quod etiam Peripatetici senserunt. Et ideò contraria eorum sunt quidem timenda, non tamen multum, vt pro eis recedatur ab eo quod est bonum secundum virtutem.

QVÆST. CXXVI.

De intimiditate, in duos articulos diuisa.

**D** E inde considerandum est de vitio intimiditatis.

¶ Et circa hoc queruntur duo.

¶ Primo, vtum intimidum esse, sit peccatum?

¶ Secundo, vtum opponatur fortitudini?

ARTIC. I.

Vtrum intimidus sit peccatum?

638

**A**D primum sic proceditur. Videtur, quòd intimiditas non sit peccatum. Quod enim ponitur in commendationem viri iusti, non est peccatum. Sed in commendationem viri iusti dicitur Prouer. 28. Iustus quasi leo confidens absque terrore erit. Ergo esse impavidum non est peccatum.

li. 3. c. 6.  
à medio,  
som. 5.

¶ 2 Præterea, Maximum terribilium est mors, secundum Philosophum \* in 3. Ethicor. Sed nec mortem oportet timere: secundum illud Matth. 10. Nolite timere eos qui occidunt corpus, &c. Nec etiã aliquid quod ab homine posset inferri: secundum illud Isa. 51. Quis tu? vt timeas ab homine mortali? Ergo impavidum esse non est peccatum.

ar. prac.  
arg. 2.  
li. 4. c. 28  
in princ.  
som. 5.

¶ 3 Præterea, Timor ex amore nascitur, vt supra habitum est \*. Sed nihil mundanum amare pertinet ad perfectionem virtutis: quia vt August. dicit \* in 24. de ciuitate Dei, Amor Dei vsque ad contemptum sui facit ciues ciuitatis celestis. Ergo nihil humanum formidare, videtur non esse peccatum.

**S**ED contra est, quod de iudice iniquo dicitur Luc. 18. quòd nec Deum timebat, nec hominem reuerbatur.

**R**ESPONDEO dicendum, quòd quia timor

ex